MASTER NEGATIVE NO. 91-80191-6

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR: SILLIG, JULIUS

TITLE: QUAESTIONUM PLINIANARUM ....

PLACE: DRESDEN

DATE: 1849

Master Negative #

91-80191-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87P71
DZ6 Sillig, Julius, 1801-1855.
...Quaestionum Plinianarum specimen II, scripsit Iulius Sillig... Dresden. Blochmann, 1849.
28 p. 21½ cm.

At head of title: Programm des Gymnasiums zu Dresden...

24453

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 1/x
IMAGE PLACEMENT: IA (IA) IB IIB
DATE FILMED: 8/26/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 2
87P/1
II Z 6

PROGRAMM

des

Gymnasiums zu Dresden,

womit

zu den öffentlichen Prüfungen

am

26. bis 28. März,

und zu dem

Valedictions-Actus

am 2. April

ergebenst einladet

das Lehrer-Collegium.

Inhalt:

1.) Quaestionum Plinianarum specimen II. Scripsit Iulius Sillig.
2.) Schulnachrichten vom Rector Dr. Klee.

Dresden,
Druck von E. Blochmann und Sohn.
1849.

Edito nuper a me Gai Plini Secundi naturalis historiae libro XXXV. cum ipsius scriptoris epistola ad Vespasianum, cum iam munus prolusionis scholasticae conscribendae ad me rediret, aptissimum mihi visum est, illi libello appendiculam aliquam subiicere, qua quaestionum Plinianarum ante hos decem annos propositarum novum specimen proponerem. Et cum multa suppeterent, quae de hoc scriptore disserere possem, ceteris omnibus missis e commentario meo critico iam novissimos sex Plinii libros totidemque a principio complectente maximam partem, paucissimis modo exceptis, longiorum adnotationum desumere placuit, quibus ut in praefatione mea illi libello praemissa p. LXVI. dixi, „et usum loquendi Plinio proprium explicare et sententiam scriptoris paulo impeditiorem expedire, tum opiniones interpretum maiorum gentium aut novis argumentis confirmare aut, si a vero aberrare videbantur corrigere atque ita nodos quosdam grammaticos et criticos et historicos quantum in me esset solvere sum conatus. Non equidem negaverim, me nonnullis hominibus plura quam opus erat explicuisse videri posse et facilius sane erat, superciliosum silentium obtinere ut saepe homines existimationi suae tacendo quam loquendo melius consulunt; sed clare loquendum fuit meumque esse putavi longioribus et accuratioribus meis adnotationibus tam ostendere quid post tantam curam in Plinio positam de illis locis difficilioribus eruerim quam homines me peritiores et doctiores ad sententiam suam de iis proferendam excitare. — — Verbositatis crimen dummodo per eam res ipsa sit promota his in rebus minus reformido quam ieiunae sterilitatis, qua efficitur, ut multa quae explicanda erant non explicentur et quid editor sentiat saepe nesciamus.“ Ita igitur has quaestiones iudicari velim, ut pro excursibus habeantur, qualibus editor breviloquentiae vel studiosissimus non semper supersedere potest, si officio suo interpretis grammatici vere fungi vult; quos si illis addideris, qui ipsi commentario epistolae ad Vespasianum et libri XXXV. inserti leguntur, omnia fere habes quae de singulis per duodecim illos libros locis diffici-

lioribus paulo uberius disputavi; pauca quaedam maxime grammatici generis restant, quae nunc omittere malui, alia fortasse occasione oblata daturus. Si vero quaeris, cur hac prolusione hos potissimum excursus Plinianos addiderim, iuvabat certe aliquam quamvis exiguam partem commentarii mei critici in hunc scriptorem conscripti cum lectoribus harum rerum studiosis communicare, cum totius operis evulgandi nunc nulla sit spes ita ut Ludovico Iano meo illum libellum tamquam specimen editionis non prodituraе mittere non dubitarem. Cum vero in illis excursibus iam prodeuntibus ad codices quos undecumque collectos emendando Plinio adhibui designandos variis siglis sim usus, ante omnia necessarium est, eorum siglorum rationem succinctam quidem sed sufficientem credo dare, illis codicibus omissis, qui in illis ipsis excursibus non sunt commemorati. Et ut lectores benevoli statim scirent, quid de pretio singulorum codicum esset statuendum, eos secundum classes et familias ordinemque pretii quo gaudent breviter descripsi, cuius descriptionis rationes et argumenta in praefatione mea p. XI—XXXVII. et p. XLIII—LI. accuratius exposui.

Et primum quidem locum obtinet codex Bambergensis (*B*), cui tantum in Plinio debemus quantum paucis ullius scriptoris codicibus; hinc ab eo non recedendum nisi summa urgente necessitate. Ab huius praestantia multum quidem sed tamen proxime abest Leidensis (*A*), qui exiguas partes librorum priorum continens peculiarem per se facit familiam. Tertio ordini accensendi sunt Vossianus (*F*), Riccardianus (*R*), cuius duae manus 1 et 2. sunt discernendae, Parisiensis 6795 (*a*), Parisiensis 6796 A (*b*), omnes hi satis boni, quamquam multis lacunis deturpati et manum interpolatricem non semel experti. Hac vero labe magis etiam inquinati sunt Chiffletianus (*Θ*), Toletanus (*T*), Parisiensis 6797 (*d*), Snakenburgianus (*σ*), uti codices Barbari et Gelenii, multum tamen hi omnes praeferendi illis codicibus, qui nunc sequuntur, in quibus si paucae bonae et interdum egregiae uniceque verae et prioribus illis libris anteferendae lectiones inveniuntur, hae casui in his rebus multum dominanti sunt tribuendae, quo factum est, ut per ingentem codicum Plinianorum qua media aetas gaudebat multitudinem nonnullae gemmae in malos illos libros transirent, in melioribus codicibus omissae. In deterioribus illis libris primum fere locum obtinent Parisiensis 6801 (*h*), Academicus Gronovii (*δ*) et Gudianus eiusdem (*φ*) cum Menapiano (*φ*). Secundo loco habendi Burbonici sive Carbonarii (*N*) manus

prima, tum Monacensis sive Pollingensis (*P*) et Petropolitanus (*p*); infimo pretio digni sunt Vindobonensis CCXXXV (*C*), manus secunda Burbonici (*N*2) et Parisienses 6802 (*i*) et 6803 (*l*). E Parisiensibus 6798 (*e*) et 6800 (*g*) Ianus pauciora excerpsit, quam ut de pretio eorum certi aliquid statui possit, quod tamen non magnum fuisse videtur. His accedunt *r* (i. e. excerpta Dalecampii e sex suis codicibus margini editionis suae adscripta), de quibus exposui praefat. p. XXVIII. sq. et Robertus Crikeladensis de cuius defloratione Plinianа agitur l. l. p. XXXVIII., quae aliquoties sola veram Plinii manum servavit. Litterae *β* denique et *γ* editiones vulgatas indicant, quarum lectiones tamquam fundamentum historicum editionis meae posui, et illa quidem Dalecampianam, haec Broterianam.

Tractemus vero primum tales locos, ubi vera scriptura aut nunc primum e codicibus optimis a nobis restituitur aut ab inutilibus et temerariis virorum doctorum coniecturis vindicatur, in quibus nescio an gravitate sua omnes alios vincat is qui legitur 36, 25. Plinius ibi de Scopae operibus marmore factis agens inter alia commemorat *Vestam sedentem laudatam in Servilianis hortis duasque chametaeras circa eam, quarum pares in Asini monimentis sunt.* Ita quidem, *chametaeras*, vulgo (*βγ*) scribitur, ubi vero statim illud est ponderandum in nullo omnino codice exstare *quarum*, verum in omnibus legi *quorum*, uti pariter *duosque* habent BVRPd, *duasque* unus *h* cuius in talibus rebus non est magna auctoritas. Iam pro nomine illo supra posito *cham.* in *B* legitur *campteras*, pro quo *camiteras* habent *VRPdhil*; vulgata lectio debetur veteri alicui grammatico, cuius inventum Barbarus, qui etiam *commotrias* legi posse suspicatur, Beroaldus annotatt. f. 2. Harduinus et Petersen introd. studii archaeolog. p. 107. explicuisse sibi videntur, Böttigerus kleine Schriften 1, 399. ut suppositititium delet, Müllerus compend. archaeol. p. 115. explicare nescit. *Hermerotas* coniecit Schultzius in Iahnii annal. philol. XI. p. 88. *lampteras*, Ianus coll. Hom. Od. *σ*. 307. *τ*. 63. quod ego quoque nuper probabam, coll. Alexandro in Aristotel. Meteor. T. II. p. 211. ed. Ideler. *ὥσπερ οἱ λαμπτῆρες, τουτέστι τὰ διαφανῆ κέρατα, ἐν οἷς ἐντίθενται αἱ λαμπάδες νύκτωρ.* At etiam h. l. praestantia codicis *B*, cui similia dant ceteri libri, confirmatur. *Campter* enim, vox graeca, de meta stadii dicitur, quia in eo flectitur cursus equorum. *Περὶ δὲ ὃ κάμπτουσι, νύσσα καὶ καμπτήρ*, Pollux III. 30, 147. quo significatu iam Pacuvius ap. Nonium s. v. *praegreditur* p. 65. illam vocem civitate latina donavit. Cui igitur numini campteres illi adstabant? Vestae. At quid huic cum metis? Scimus autem, inde ab Anaxagorae tempore, qui sub omnium numinum nominibus vires physicas latere docebat, Vestam cum Terra fuisse commutatam et ipsam Terram saepe dictam Vestam; vid. Eurip. ap. Macrob. Saturn. 1, 23.

καὶ Γαῖα μῆτερ· Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι

coll. Ovid. Fast. 6, 267. *Vesta eadem est, quae terra,* et 460. *et Tellus Vestaque numen idem est* (v. Lipsium de Vesta 3. p. 1079.); et terram effigie Vestae fictam fuisse disertis verbis tradit Suidas s. v. Ἑστία, quod eo facilius fieri potuit, cum utriusque deae proprium sit *sedere.* Uti enim Vesta iam in hymno Homerico in Vener. 30. μέσῳ οἴκῳ ἕζεσθαι dicitur, quod artifices Graeci expresserunt (v. Müller. compend. archaeol. § 382.), ita Tellus quoque *sedens* fingi solebat (Pausan. VII. 21, 4.) Hinc Scopas aequalis fere Euripidi, cum Vestam ficturus esset, ut ea pro Tellure agnosceretur, duos campteras sive metas ei addidit, quibus statuam suam tam pro Vesta quam pro Tellure habendam esse demonstravit. Etenim duo illi campteres sunt τρόπαι Ἠελίοιο (Hom. Od. 15, 403. quem locum optime illustrat Ukertus in diurnis antiquar. 1841. nr. 15. p. 124 coll. I. H. Voss. epistol. mythol. 2, 157, Müller. Doriens. 1, 425), vel poli, *a quibus terra centrum caeli est* (Plin. 2, 63.), quos terrae campteras bene dicere possis. Et quos h. l. Plinius Graecum scriptorem secutus campteras dicit, alio loco (2, 61.), de simillima re dicens, *longissimas distantiae metas* appellat. Similiter dixit Ovidius Met. 3, 145. *Et sol ex aequo meta distabat utraque,* coll. Isidor. origg. 18, 30. *Metarum appellatione proprie terminum ac finem mundi designari volunt ab eo quod alicui emensus finis est, sive ad testimonium orientis occidentisque solis;* adde Spanhem. ad Callimach. Del. 169. Creuzer Symbolik u. Mythol. 3, 24. ed. III. Illos autem campteras eleganti caelatura ornatos, qua quid significandum per eos esset exprimebatur, apte comparaveris cum metis in numis Cypriis.

Eodem libro §. 16. leguntur haec: Alcamenis *sunt opera Athenis complura in aedibus sacris* praeclaraque Venus *extra muros.* Ita, *praeclaraque Venus* habent *R* et ex codicibus Gelenii *βγ*; *praeclaraque Veneris* Vdh, *praeclarumque Veneris* B. Ex superioribus ad hanc optimi codicis scripturam bene suppleri posse *opus* docent loci quales sunt 22, 110. *cibus alicae* 36, 188. *genus Graecanici* 37, 1. *rupe Caucasi* 6, 72 *promontorium Perimulae* Vergil. Aen. 1, 565. *urbs Troiae,* ubi genitivus, quem Madvigius grammat. lat. §. 282. definitivum dicit, appositionis loco fere dictus speciem rei significat, cuius genus substantivo regente dicitur. Secundum hanc dicendi formam verba *Iordanis amnis* 5, 71. explicanda censeo, licet aliquot libri habeant *Iordanes.* Adde Reisig. schol. grammat. Lat. p. 635. c. n. Haasii.

De insano amore locuturus, quo Romani vasa myrrhina appetebant, Plinius 37, 19. narrat imperatorem Neronem liberis consularis alicuius mortui tantam eorum multitudinem abstulisse, *ut exposita occuparent theatrum peculiare trans Tiberim in hortis,* uti ea verba leguntur in *B*, cum immutato ordine *Pdhβγ* habeant *theatrum peculiare trans Tiberim hortis exposita occuparent.* Haec verba quomodo sint explicanda Beckerus Handbuch der Römischen Alterthümer 1, 671. decernere non ausus in corruptelae suspicionem ea vocavit, cui ita occurri

posse existimo. Scilicet uti Nero foedae aurigandi libidini satisfacturus in spatio valle Vaticana clauso primum solus, mox vulgo admisso equos rexit, postea demum in Circum Maximum transiit (Suet. Ner. 22.), eadem ratione eum sensim modo et pedetentim artem cantandi exercere coepisse probabile est. In eodem igitur loco, ubi in circo peculiari et clauso aurigari solebat, theatrum etiam peculiare condidit, ligneum sine dubio et in tempus exstructum, ubi cantans rudimenta artis suae posuit et theatro maximo eique publico Pompeiano sese praeparavit. Vallem autem illam Vaticanam Plinius eodem iure simpliciter *hortos* appellat, sive Agrippinae sive Domitiae, utrosque tum Neronis (Becker l. l. p. 660. sq.), quo Suetonius l. l. de eadem valle (Tacit. ann. 14, 14) vocem *hortos* usurpat, quibus omnibus pensitatis hunc locum suspicione corruptelae liberandum esse concedi poterit.

De opalis agens Plinius 37, 80. ex vulgata scriptura (*dhlγ*) ita loquitur: *India sola horum est mater. Atque in pretiosissimarum gemmarum gloria* (hanc vocem omittit *d*) *compositi maxime inenarrabilem difficultatem dederunt.* Pro his legitur in *CP: atque ut eis* (*eius,* P.) *pretiosissimam gloriam compositores gemmarum et* (hanc copulam omittit P.) *maxime* rel. In *β* exstat *Atque ideo eis pretiosissimam gloriam compositores gemmarum et maxime* rel, quod ingeniose explicat Lessingius oper. 8, 128. ed. Lachmann. Denique *B* habet *mater est, ut pretiosissimarum gloria compos hi gemmarum maxime — adferunt,* unde Ianus coniecit *atque ut e pretiosissimarum gemmarum gloria compositi maxime.* At nulla mutatione scripturae *B* est opus, dummodo interpungatur: *India — mater est, ut pretiosissimarum gloria compos. Hi gemmarum maxime* rel; ceterae omnes lectiones nihil aliud sunt quam interpretationes. Et primum quidem India dicitur compos gloria pretiosissimarum *gemmarum,* quae vox facillime per synesim (v. ad 37, 5.*) ex *horum* suppleri potest, cum *pretiosissimorum* Plinius dicere non posset, quod adiectivum non magis ad *opali* quam ad ullum aliud substantivum referri posset. Deinde *gloria compos* pro *gloriae* aliorum quoque scriptorum auctoritate defenditur (Drakenb. ad Liv. 4, 40.), et particula *ut* toti huic locutioni eà de causa praemittitur, ut aliter fieri non posse appareat, quin India opalos quoque ferat, ut quae pretiosissimas gemmas ferat, quem notissimum illius particulae usum Pliniani quoque multi loci comprobant (vide 12, 42. 26, 12. 28, 149. 33, 66.); sententiam vero suam ipse Plinius illustrat verbis *terrarum autem omnium maxime* gemmifera est *India* §. 200.

In longa de anulis diatriba Plinius, ut comprobet homines anulorum usum instituentes ipsos luxuriae novae a se excogitatae puduisse, inde hoc sequi ait (33, 13.), quod laevis manibus latenti-

*) Ad h. l. ego haec adscripsi: „Saepe apud Plinium nominibus gemmarum masculini vel neutrius generis apponitur adiectivum vel pronomen generis feminini, quia vox *gemma* per synesim intelligitur; vide §. 23. 107. 139."

busque eos induerint, *cum si honos securus fuisset, dextra fuerit ostentandus. Quodsi impedimentum potuit in eo aliquod intelligi, etiam serioris usus argumentum est, et* (ita *B*, cum ceteri omnes codd. et edd. hanc copulam omittant) *maius in laeva fuisse, qua scutum capitur.* Hic quod *serioris* legitur, exstat in *Bd*, pro qua voce *sertoris* habent VRTΘPδ, *sartoris* ilrgφ, *in sertorii* h, *insartoris* vel *insertoris* margo Victorii; *consertoris* coniectura est Barbari recepta in β, *insertorii* voluit Rhodigin. L. A. 10, 4. *salutaris* sc. digiti Ferrarius elect. 1, 21. *armorum* Gronovius. At hic quoque locus, quem Harduinus ex ingenio restituisse simulabat, cum veram scripturam e codice *d* hausisset, non mutatione verum explicatione eget. Plinius scilicet ait: Dicere quis possit, ab initio anulos ea de causa manu sinistra gestatos fuisse, ne crebro motu et officio manus dextrae, cui multa negotia tractanda sunt, lapides pretiosi frangerentur (quam Atteii Capitonis ap. Macrob. Saturn. 7, 13. sententiam Plinius tacitē vult refutare); at hoc argumentum nihil probat; etiam seriori aetate ille mos servatus est semperque anulos qui gerebant eos abscondere voluerunt, quia honos non securus erat; idque iam eo comprobatur, quod anulum non ab laeva in dexteram manum transtulerunt, licet laevae manui per scutum, quod ea tenetur, maius impedimentum fiat quam dexterae per omnia quae ab ea tractantur negotia (subiectum huius enunciationis more Graeco, v. Thucyd. 1, 41. *τὸ δὲ ἡμᾶς Πελοποννησίους αὐτοῖς μὴ βοηθῆσαι*, Plat. apol. 18. p. 31. b. *τὸ ἐμὲ τῶν μὲν ἐμαυτοῦ ἁπάντων ἠμεληκέναι* inest in accus. c. infinit. verborum *et maius — fuisse*, quorum simillimum locum v. 35, 10); nunc quidem (et tale aliquid significare voluisse Plinium docet comparativus *serioris*) omnibus digitis utriusque manus anuli geruntur, neque huius quoque sceleris homines amplius pudet; v. §. 24. et Kirchmann. de anulis p. 106. sq.

Paulo infra (33, 18.) Plinius quomodo usus anulorum sensim increbuerit exponens, ad Cn. Flavium aedilem curulem simul et tribunum plebei venit, cui honoribus ita praeter morem a populo geminatis tantam indignationem exarsisse narrat, ut „anulos abiectos" in antiquissimis reperiatur annalibus. Tum e lectione vulgata ita pergit: *Fallit plerosque quod tum et equestrem ordinem id fecisse arbitrantur; etenim adiectum hoc quoque „sed et phalera posita" propterea que nomen equitum adiectum est. Anulos quoque depositos a nobilitate in annales relatum est, non a senatu universo.* Ut taceam ex optimo codice *B* legendum esse *phaleras positas* et *propter quae*, pro *etenim* quod habent *VRTΘdhily*, in β exstat *Est enim*, in *B* legitur *ut enim*, unde Ianus se expedire nescius locum corruptum habet. Sed res ita se habet: apodosis huius protasis incipit a verbis *anulos quoque*, quae hucusque plena interpunctione a praegressis seiuncta nunc ad ea recte referuntur, omissa particula *ita*, quo de usu v. 2, 60. 18, 202. Cort. ad Sall. Iug. 2, 3. Duker. ad Suet. Domit. 12. Hand. Tursell. 2. p. 497. Refutat Plinius eos qui equites quoque anulos posuisse dixerant: in antiquissimis enim annalibus non solum

anulos verum etiam phaleras positas legi, et ob has positas annalium conditores equites quoque commemorasse, non autem quasi hi etiam anulos posuerint; praeterea in illis annalibus legi anulos non a senatu universo sed a nobilitate modo depositos esse; hinc sequi, anulos a nobilibus, phaleras ab equitibus positas fuisse; item sequi eos errare, qui ex annalium verbis concludant, equites et anulos et phaleras posuisse, cum annales ipsi hoc modo prodant, ab equitibus phaleras depositas esse. Ne lineola quidem a *B* mutata totus locus ita est scribendus: *Fallit — arbitrantur; ut enim adiectum hoc quoque „sed et phaleras positas", propter quae nomen equitum adiectum est, anulos quoque — universo.*

His igitur de anulis postquam multa per indignationem et iram protulit Plinius, postremo §. 25. in verba erumpit: *denique ut plurima opum scelera anulis fiunt!* Et primum quidem in his verbis *plurima* unus habet *B*, vulgo (βγ) e codicibus Gelenii, quibus accedunt *VRdhil*, exstat *plurimum*. Iam etsi scio, *ut plurimum* etiam alibi legi (15, 18.) et Plinium similes locutiones non raro ponere (*ut longissime* 2, 182. *ut maxime* 33, 16.), tamen haec omnia me non moverunt, ut auctoritatem codicis *B* spernerem. Etenim illae locutiones eo semper sensu dicuntur, ut scriptor significationem particulae *ut* restrictivam secutus idem dicat, quod alibi locutio *ad summum* significat; id vero h. l. dici non posse nemo non intelligit. Deinde particula *ut* ex ea orationis conformatione, quam *B* commendat, plane cum consuetudine Plinii congruit. Scilicet hic a castitate et sobrietate sermonis Tulliani vel Caesariani longe remotus, quando aliquam rem admiratur vel indignatur eosdemque sensus in lectorum suorum animis excitare vult, non sententiarum verborumque pondere sed exclamationibus inversionibusque lectores secum abripere sibi videtur. Hinc apud Plinium non exiguus locorum numerus, ubi scriptor sententiam suam plerumque vituperabundam de aliquo more vel instituto proditurus pronominibus vel particulis interrogandi sensum habentibus utitur, neque ipse quid de illa re sentiat docet, sed lectores ut iudicent efflagitat et quasi clamando cohortatur; v. 2, 155. 175. 3, 42. 43. 8, 147. 9, 68. 10, 172. 11, 2 3. 21. 81–83. 109. 110. 14, 141. 19, 24. 51. 23, 2. 31. 29, 24. 30, 15. 33, 6. 145 36, 3. 5. 6. 120. 37, 41. 60. Praeterea vero in iisdem de quibus nunc agimus verbis Ianus pro *opum* legendum censet *operum*. Sed *opum scelera* sunt scelera opibus creata, cum opum possessione coniuncta, qualem genitivi significationem, ut designet id ex quo aliquid ortum est (v. §. 27.), saepe apud Plinium quoque invenimus; ita *lanicium silvarum* 6, 54. *lapsus scalarum* 7, 124. *cibi aut odoris decorisve commendatio* 22, 1. *multa legum* 33, 7. *fluminum ramenta* 33, 66 *gloria marmoris* 36, 20. *Sullae malum* 36, 113. Adde 2, 196. 16, 53. 23, 130. 34, 125. 36, 98. et Matthiae ad Cic. Manil. §. 43. Arch. §. 15. Catil. I. §. 4. Sull. §. 63. 77.

Sed ab anulis nondum recedere possumus, nisi ante de loco ad eos pariter pertinente disputavimus, vindicaturi ut speramus eum a mutatione non necessaria. Leguntur scilicet 33, 23. haec: *Nec non*

et servitia iam ferrum auro cingunt, alia per sese mero auro decorant, cuius licentiae origo nomine ipso in Samothrace id institutum declarat. In his verba *alia — decorant* cum adhuc a nemine satis sint explicata, accuratius de iis dicendum videtur. Et Harduinus quidem haec adnotavit: „Nec non etiam servi ferreum anuli capitulum cingunt auro sic ut ferrum vix emineat; addito alii circulo ex auro mero, ei capitulo ferreo decus addunt.“ Sed ut taceam non apparere, quomodo hic sensus in illis verbis insit, illa Harduini explicatione probata nihil nisi ineptam in iis tautologiam invenias. Quid enim discriminis intersit inter ferrum auro cinctum et ferrum mero auro decoratum, nemo facile expediat; certe tanta gradatione quantam videmus Plinio non opus erat. Hinc factum est ut Lipsius elect. 2, 8. pro *decorant* scriberet *decolorant,* hac addita explicatione: „Quid enim hic (in vulgata scilicet scriptura) novi, aut ad Samothracas relegandum, si anuli e mero auro. Nonne tales iam olim senatorum et equitum? Denique quis permisit hoc servitiis, ut palam ex auro gererent anulos et sine ullo fuco? nos leviter rescribimus *decolorant,* id est: cum servis aureos anulos in propatulo gestandi non fas, non ius, ecce novitio invento alii aurum ferro superinducunt, alii aurum merum purumque decolorant et deformant in modum ferri. Id enim certe fuit. Aurum gestabant nec videbantur gestare, cum colore aliquo atro (hodie etiam usitato) aut fusco id velarent ac celarent. Nam servis certe anuli ferrei tantum usus.“ At haec coniectura quam praeter Kirchmannum de anulis 3. etiam Welckerus trilog. Aeschyl. p. 52. commendavit, non uno nomine improbabilis videtur esse. Etenim primum dubito num Plinius vel quicumque alius scriptor *ferrum auro decoloratum* dicturus fuerit, cum *aurum ferro decolorari* satis apte dicatur; deinde etiam Lipsius non explicavit, cur Plinius alteri illi fraudi tantum ponderis prae priore tribuerit, cum de illa quoque sola auri commemoratio sufficeret, neque opus esset verba *per sese mero* addere, quae potius indicant, non amplius de alio metallo auro admixto sed de ipso mero auro sermonem esse. Tum Lipsius dicit, servos merum aurum decolorasse et deformasse in modum ferri, Plinius autem, servos ferrum decolorasse auro. Denique aurum merum multo magis requiritur in circulo aureo ferrum cingente quam in arte illa empaestica, qua ferrum aureis veluti stellis feruminatur (Niello), coll. Petron. Satir. 32. Hinc videmus Lipsii coniecturam a vera Plinii mente aberrare, qui potius servorum arrogantiam et petulantiam exagitaturus eos non ferro auro cincto contentos esse, sed adeo ad merum aurum progredi dicit. De hoc autem cum nemo puto dubitare possit, verba statim sequentia de licentiae illius origine, id quod iam Lipsius acute vidit, minime ad verba de quibus hic disputamus, sed tantum ad verba superius collocata *Nec non — cingunt* pertinere concedendum est, ut ferrum auro cinctum, non autem merum aurum, quod dudum anulis inserviit, quales tamen servis erant negati, e Samothracia repetitum fuisse Plinius dicat. Et ita verba sumenda esse iam ipse locus non secundum singula verba sed universus animoque simplici inspectus doceret; eodem ducunt vestigia quamvis levia aliorum scriptorum, Isidori Hispal. origg. XIX. 32, 5. *Samothracius anulus aureus quidem sed capitulo ferreo, a loco ita vocatus,* qui proinde de mero auro nihil dicit, et Lucretii 6, 1043. *Samothracia ferrea,* quae iam Turneb. adv. 20, 2. Wakefield. ad h. l. et Müllerus in Orchomeno et Minyis p. 451. de illis anulis intelligenda esse viderunt. Ita verba *alia — decorant* parenthetice sumenda, et Plinius cum iam illud indignetur, servos anulos ferreos auro cingere, priusquam ad originem huius moris explicandam progrediatur, ex qua servi excusationem suae petulantiae petebant, in transcursu maiorem etiam illorum impudentiam castigat. Dicit enim servos alia mero auro decorare, cum digitos anulis ferreis auro modo cinctis decorent. Nam hunc errorem omnes qui hucusque de hoc loco disputaverunt viri docti admiserunt, ut *alia* ad *servitia* referrent, cum sit accusativus numeri pluralis. At cum modo de anulis ferreis servorum Plinius dixisset, apte meminit universae servorum quales tunc multi eorum erant impudentiae, qui peculia variis artibus parata (Iuvenal. 3, 184. 189. 131. ubi *divites* audiunt servi, coll. Plin. n. h. 13, 22. 18, 7. 33, 145.) ostentabant et mundum aureum ferre non dubitabant. Uti igitur anulis ferreis auro cinctis digitos decorabant, ita *alia* decorabant auro per sese mero (v. ad 32, 45.*), quae vox *alia* opposita digitis quos facile supplere possumus, et de aliis partibus corporis et de vestitu et de aedificiis intelligi potest. Parenthesis autem, quae fortasse apud alium scriptorem offendere possit, apud Plinium certe excusabitur, qui in parenthesibus ponendis multa sibi indulget; vide 32, 24. 100. 128. 33, 40. Et omnis quidem in h. l. ambiguitas vitaretur, si pro *servitia* e codicibus nonnullis scriberemus *servi;* sed quamquam haec lectio auctoritate *B* nititur, indigna tamen videtur, quae recipiatur, cum interpolationis speciem prae se ferat. Restant ultima huius loci verba, quae ita sunt explicanda: huius vero licentiae (sc. anulos ferreos auro cingendi) origo i. e. anuli ferrei auroque cincti quos Samothrace Romam translatos servi Romani videbant et imitabantur, quo facto legi per speciem satisfaciebant et iidem ornatum lege vetitum hac ratione sibi arrogabant, hi igitur anuli ferrei auroque cincti ipso nomine produnt, ubi sint primum inventi.

De chrysocolla dicens Plinius (33, 87.) duplex eius genus esse narrat, nativam et cura factam. *Nativa,* ita pergit ex scriptura vulgata, *duritia maxime distat; luteam vocant; et tamen illa quoque herba quam lutum appellant tinguitur.* Pro *luteam* in *BVR* legitur *uvam,* alii codd. *unam* vel *ulvam;* vulgatum *luteam* unice legitur in *βγ*. Pessime hunc locum iam a vetustissimis editoribus esse interpolatum multa docent. Et primum quidem codd. partim aliam vocem

*) „Locutionem *per se* vel *per sese* Plinius saepe usurpat; v. 3, 40. 8, 192. 17, 51. 29, 38. 49. 101. 108. 118. 125. 133. 138. 143. 30, 52. 107. 133. 33, 23.“

praebent, partim ea exhibent quae a vulgata lectione plurimum absunt; quod autem nomen *uva* non aliunde de chrysocolla nativa dictum fuisse comperimus, nihil hoc ad infringendam optimorum librorum auctoritatem facit, cum iam supra in re metallurgica aliquot nomina commemorata invenerimus, quae solus Plinius habet. Deinde nativa chrysocolla, de qua h. l. sermo est, nunquam *lutea* dici potuit, quia statim infra Plinius dicit, tamen hanc quoque nativam chrysocollam herba luto tingui solere, per quae verba miratur hanc nativam chrysocollam quamvis duram luto herba tingui. Quodsi chrysocolla nativa esset dicta lutea, profecto non fuisset cur Plinius adeo miraretur hanc luteam luto herba tingui, sed pro *et tamen* potius *nam* dixisset. His accedit testimonium Vitruvii VII. 14, 2. qui ait: *qui* (pictores) *non possunt chrysocolla propter caritatem uti, herba quae lutum appellatur caeruleum inficiunt et utuntur viridissimo colore; haec autem infectiva appellatur.*

Admodum turbata leguntur verba illa, quibus Plinius 33, 115. 116. de rubri coloris generibus loquitur. Cum enim ea vulgo ita legantur: *Milton vocant Graeci, minium quidam, cinnabari. Unde natus error, Indico cinnabaris nomine. Sic enim appellant illi saniem draconis elisi elephantorum morientium pondere, permixto utriusque animalis sanguine, ut diximus. Neque est alius colos, qui in pictura proprie sanguinem reddat. Illa cinnabaris antidotis medicamentisque utilissima est. At Hercules medici, quia cinnabarim vocant, pro ea utuntur hoc minio, quod venenum esse paulo mox docebimus,* pro *minium quidam*, quod *Ph.* et codd. Salmasii exerc. p. 189. b. B. habent, cum in aliis codd. Salmasii et *VRd* exstet *minium qui*, iam Salmasius coniecit *miniumque* quae coniectura egregie confirmatur per *B*. Deinde scribendum est *cinnabarim* ex *BP*, pro quo *cinnabarin* habent *Vdr*, et *cinnabari* in *Rhβγ* legitur. Maxima vero mutatio subeunda est verbis *Indico cinnabaris nomine*, quod cum *βγ* tuetur *h*; nam cum *Indico nomine* praeter marginem Victorii et codices Salmasii habeant *VRd*, in *B* exstat *indicio nominum*, cui scripturae primae partes sunt deferendae. Plinius scilicet dicit, e nomine cinnabari, quod duplicis sit significatus, errorem aliquem ortum esse. Cinnabarim enim Graecam vocem indicare et minium venenum et saniem draconis sive dracontion antidotis medicamentisque utilissimum. Iam intelligitur quid sit *indicium nominum*. Scilicet *nomina* sunt utraque vox cinnabaris, quae rebus duabus diversissimis tribu ebatur; quae quod indicat, dicitur eius *indicium* i. e. argumentum, significatus. Interpolatio vero hucusque ab editoribus probata eo facilius oriri potuit, quod fortasse librariorum aliquis meminerat dracontium illud a nonnullis dici Indicum; sed qui lectionem illam vulgatam accuratius consideraverit, fatebitur Plinium ad errorem Graecorum indicandum refutandumque non ita uti hucusque legebatur dicere potuisse sed ei dicendum fuisse aut *Indicae* (v. 29, 15.) aut *alterius cinnabaris nomine*. Rem ipsam accuratissime exponit etiam Dioscorides 5, 109. coll. Ideler. ad Aristot. Meteor. T. II. p. 148.

Huc accedit quod, si *Indico nomine* legitur, pronomen *illi* statim sequens inepte ponitur. Aut enim *illi* sunt Graeci, qui vere sunt; tum cinnabaris nomen non est Indicum sed Graecum; aut *illi* sunt Indi, quae est Iani sententia; tum probandum erit, Indos dracontion vocasse cinnabarim, quae vox cum ipsa sit Graeca, non ab Indis proficisci potuit. Et quod rem conficit, si cinnabaris apud Indos aliud nomen habebat neque cinnabaris dicebatur, quomodo ex hoc nomine Indico huius remedii error nasci potuit, cum potius Graeci culpam huius erroris mererent, qui remedio illi Indico nomen Graecum imposuissent, quod minium quoque indicabat?

Suspicionis vitio item sunt liberanda verba Plinii 33, 140. *iam vero et mensas repositoriis inponimus ad sustinenda opsonia*, ubi cum iam Conradus Gesnerus in histor. animal. 1, 134. legendum putasset *mensis repositoria*, Beckerus in Gallo II. p. 137. certe dubitat num scriptura codd. et edd. defendi possit. Iustam vero huius loci explicationem in Petronio Satir. 35. (*repositorium enim rotundum duodecim habebat signa in orbe disposita, super quae proprium conveniente*mque *materiae structor imposuerat cibum*) et 36. (*ad symphoniam quattuor tripudiantes procurrerunt* superioremque partem repositorii abstulerunt *quo facto videmus* infra scilicet in altero ferculo *altilia* rel.) invenisse mihi videbar iam in editione minore. Scimus quantopere Plinius in exagitanda sui temporis luxuria sibi placeat neque verba satis gravia inveniat, quibus illam notet. Quodsi locum Petronii contulerimus, tum nobis fatendum erit, Plinium habuisse cur superiorem repositorii partem sive quasi contignationem diceret novam mensam. Non sumus contenti, ait, repositoriis argenteis sed his ipsis altera imponimus repositoria quae cum et ipsa suos portent cibos sive opsonia, novas mensas iure dixeris.

Prorsus non intelligi potuit ex lectione vulgata (*βγ*) locus 34, 141. *Obstitit* (ferro ad artis opera adhibendo) *eadem naturae benignitas exigentis a ferro ipso poenas robigine, eademque providentia nihil in rebus mortalibus faciente, quam quod infestissimum mortalitati.* Ac primum quidem ex *β* restituendum *mortalius* (coll. 36, 110.) quem comparativum etiam probat Raderus ad Curt. VII. 8, 15., cum *BVRTdhγ* habeant *mortalibus*. Deinde scribendum *facientis* ex *hr* (coll. Radero et Iano) pro quo *BRTdβγ* habent *faciente*, *V* autem *facientem*. Postremo pronomini *quod* subiiciendum *esset* ex *BTdhrP* corruptum in *esse* in *V*, omissum in *Rβγ*. Quod iam ad sensum huius loci attinet, Harduinus qui unus eum videtur curasse, ex vulgata scriptura durissimum modo et perquam contortum elicere potuit; etenim quod vulgo legebatur *faciente*, ad nullam vocem apte refertur. Restituta autem vera scriptura videmus vocem *obstitit* referri ad §. 138. et potissimum §. 139. ubi Plinius dixerat, usum perniciosum ferri vitae instrumenti pessimi non deberi naturae; tum addit §. 140. vitam ipsam honorem mitiorem ferro non recusare, quibus expositis coronidis quasi loco dicit, naturae quoque (non modo vitae) benignitatem providentiamque vim ferri perniciosam imminuisse. Amat

vero Plinius eadem qua h. l. ratione naturae quasi ludibria pingere, quibus vel hominum superbiae vel suis ipsa operibus obviam iens, quam fragilia sint utraque, doceat. Naturae pugnam secum ipsa disertis verbis memorat 2, 102. 104; simillimum vero locum de naturae benignitate, qua sui ipsius cladem minus nocivam reddit, vide 18, 291. Adde ind. rerum s. v. *natura*.

Locus valde notabilis est 2, 11. ubi Plinius de ratione quae inter terram et mundi circa eam circuitum intercedit ita loquitur: *Sic pari in diversa nisu in suo quaeque consistere, inrequieto mundi ipsius constricta circuitu, quo semper in se currente imam atque mediam in toto* esse terram *eandemque* universi *cardine stare pendentem, librantem per quae pendeat, ita solam inmobilem circa eam volubili universitate.* At verbum substantivum *esse* omittitur in *Pabgp* (Robert); legitur modo in *a2*$^{?}\gamma$. In *d* exstat *esse terrarum*. Omisso hoc verbo paulo difficilior quidem fit primo obtutu oratio; parendum tamen fuit optimis libris, cum vera eos praebere sententia loci demonstret. Nam verba *imam — terram*, si iis additur *esse*, apodosin priorum verborum efficiunt, idque iniuria, cum currenti mundo non opponendum sit quod terra est ima et media, sed quod stat. Hinc apparet, verba illa parenthetice esse sumenda, ut minoris momenti, pronomen vero *eandemque* non esse referendum ad *stare pendentem*, sed ad *universo* (ita legendum ex omnibus libris, cum *universi* nihil sit nisi coniectura Sabellici) *cardine*; nam illud quoque, quod pendet terra, non summum est, sed quod pendens stat, cum mundus circa eam moveatur. In transcursu igitur et ut omnem quae de situ terrae et mundi dicenda erant dicerentur, Plinius verba *imam — cardine* addidit, cum ad rationem moti mundi et stantis terrae explicandum sufficerent verba *terram stare pendentem*. Praepositio *in* ante *universo cardine* omissa e superioribus facillime suppleri potest (v. ad 32, 8.), et Plinius proprie dicere debebat *imam atque mediam in toto terram eandemque* imam atque mediam in *universo cardine*, quo tamen non opus fuisse quivis fatebitur.

Ineptam interpolationem experta sunt verba 2, 31. ubi Plinius de sphaera eiusque inventoribus loquens ex scriptura codicis *d* et vulgata $\beta\gamma$ ait: *sphaeram ipsam ante multo Atlas* invenit. Ubi quantum offendat illud *ante multo*, inepte comparatis inter se astronomis clarissimis Anaximandro et Cleostrato cum Atlante fabuloso, non est quod multis doceam. Iam vero in *abgPp*, deinde in codd. Barbari et libro Salmasii exerc. p. 578. b. D. legitur *ipso mandante mundo*, in *R* exstat *ipsam* [rasura] *ante multa*, Salmasius coniecit *ipso pandente mundo*. At non deserenda est lectio optimorum librorum; etenim cum Atlas mundum (τὸν σύμπαντα κόσμον Diodor. Sic. 3, 60. τὸν κόσμον ὅλον idem 4, 27.) humeris suis ferret, ipse mundus sphaeram Atlanti mandavisse i. e. credidisse bene dici potest. Φασὶ δ' αὐτὸν (Ἄτλαντα) τὰ περὶ τὴν ἀστρολογίαν ἐξακριβῶσαι καὶ τὸν σφαιρικὸν λόγον εἰς ἀνθρώπους πρῶτον ἐξενεγκεῖν. ἀφ' ἧς αἰτίας δόξαι τὸν σύμπαντα κόσμον ἐπὶ τῶν

Ἄτλαντος ὤμων ὀχεῖσθαι, τοῦ μύθου τὴν τῆς σφαίρας εὕρεσιν καὶ καταγραφὴν αἰνιττομένου, Diod. Sic. 3, 60. coll. 4, 27.

Verba Plinii 2, 110. *vastitas caeli, inmensa discreta altitudine in duo atque septuaginta signa* Pintianum et Scaligerum ad Manil. p. 67. adeo offenderunt, ut *immensa altitudine, discreta in* scriberent. Vere quidem, nisi Plinium synchysin quandam verborum etiam multis aliis in locis admisisse sciremus; ita ait 6, 76. *unam Herculi sexus eius genitam* pro unam sex. ei. genitam Herculi. 11, 80. *maiores* (lupi aranei) *interna et cavernis exigua vestibula praepandunt* pro maiores int. et exig. vest. cav. praep. 14, 4. *in ostentatione has praeferebant opum* pro in ost. opum has praef. 15, 58. *pomis proprietas pirisque vini* pro pomis pir. propr. vini. 17, 140. *Et de arboribus haec quidem fructus gratia serendis inserendisque in universum sint dicta* ubi verba *haec quidem* pone *inser.* collocaveris. 18, 150. *cum amplitudine inchoata granum sed nondum matura — — afflatu noxio cassum — evanescit* ubi *granum* pone *matura* melius collocari putes. 20, 58. *qua pisces in mari deiecta protinus necantur*. 21, 52. *Folia in coronamentis zmilacis et hederae, corymbique earum obtinent principatum*, ubi verba *in coronamentis* inter *earum* et *obtinent* simplicius collocarentur. His locis allatis apparet, participium *discreta* quamquam inter *inmensa* et *altitudine* positum recte ad *vastitas* referri posse, ita ut *inmensa altitudine* structura ablativi absoluti dicantur pro *cum sit altitudo inmensa*, qualis structura ex substantivo et adiectivo constans invenitur etiam 6, 72. 8, 152. 12, 122. 37, 70. Ita verba si intelliguntur, Harduini quoque coniecturam *latitudine* non necessariam esse patet.

Paulo post 2, 114. ubi Plinius de origine ventorum loquitur, haec vulgo γ leguntur: *Namque et e fluminibus ac sinubus et e mari videmus — —* ventos *consurgere*, ubi quod *sinubus* scribitur uni debetur Harduino, de qua tamen forma uti etiam de Constantini coniectura *sinibus* vide C. L. Schneideri grammat. lat. 2, 340 In *Rad*β exstat *nivibus*, *P* habet *rivibus*; sed unice veram scripturam *nubibus* hoc loco servavit unus Robertus Crikeladensis, quae quomodo in *nivibus*, litteris *b* et *v* consueto errore commutatis, transire potuerit, quilibet intelligit. Et primum *sinuum* commemoratio quamquam per se apta (vide Aristotel. de mundo 4. p. 394 b 15.) hoc loco non est tolerabilis, cum *sinus* simpliciter uti hoc loco dicti ut de sinibus maris intelligantur non necessario flagitetur, sinus terrestres autem huic loco prorsus non conveniant, quia de terra ventorum causa statim infra verbis *et e terra* nunc demum emendatis*) et §. 115. uberius de iis ventis loquitur, quos *concavi vallium sinus* generant. Deinde *sinus* etiam ea de causa hoc loco a Plinio non allati videntur, quia

*) Scilicet legebatur ibi vulgo $\beta\gamma$ *et alios quos vocant altanos e terra consurgere*, quod confirmant *R*^{2}*Pa* cum Roberto Crikeladensi; in *R*^{1} exstat *et*, at *Td* habent *et e* quo recepto convenit Plinio cum Servio ad Verg. Aen. 7, 27. *flatus omnis, qui est ripae aut pelagi, altanus vocatur quasi ex alto mari spirans*, neque opus est confugere ad rationes Ideleri meteor. p. 78.

praeterea *flumina* et *mare* ventos gignere dicuntur, quibus comparari possunt ob similitudinem materiae nubes, non possunt sinus. Tum *nubium* commemoratio prorsus omitti posse non videtur, quia reliquis ventorum generationis causis commemoratis illae solae tacerentur, si h l. non afferrentur, quas certe Aristoteles l. l. p. 394 b 17. silentio non transmisit; et nubes Plinius h. l. eo minus omittere potuit, cum infra §. 131. ubi singulatim de ecnephia loquitur iterum nubes tamquam causas ventorum commemoraverit, eo tamen ut locorum natura fert discrimine, ut h. l. nubes simpliciter afferret tamquam unam e causis generationis ventorum, illo altero, ubi repentini flatus sive procellae describendi, ubi de genere igitur ventorum antea in universum dictorum loquendum erat, causam, unde hoc ipsum ventorum genus oriretur, adderet. Mirum esset, si illic Plinius nubes tamquam causam ecnephiae memoraret, hic nubes, quibus in universum ventos effici sciebat, silentio transmitteret. Hoc loco de nubibus ventos creantibus, illic de ecnephia nubibus creato loquitur. Uti hoc in loco uni Roberto Crikeladensi vera scriptura accepta refertur, ita iuxta vulgatam β 3, 123. eidem homini idem debetur. Commemoratur ibi a Plinio *oppidum Eporedia Sibyllinis a populo Romano conditum iussis*, uti *RATd*γ habent, ita tamen ut in *T* exstet *condi*; Θ habet *conditum*. *Iussisse*, Ambr. 11. *conditum iussisse*, Ambr. 1. *condi iussisse*. Et Harduini quidem Broteriique scripturam (γ) praefert Madvigius opusc. 1. p. 288. qui scite quidem ad *iussa Sibyllina* asserenda laudat *Sibyllina remedia* 11, 105. Sed ut taceam, *iussis* non apto loco positum vtderi, nisi forte Madvigius illud paulo vehementius pone *Sibyllinis* transiicere velit, scriptura vulgata (β) a Roberto confirmata *Sibyllinis libris a populo Romano condi iussum*, cuius notitiam vir praestantissimus non habuit, et omnes difficultates optime solvit et quomodo ceterae lectiones ortae sint clare docet. Uti vero nemo offenderetur, si Plinius simpliciter dixisset *libris Sibyllinis condi iussum*, ita verba *a pop. Rom.* addita duriusculam quidem reddunt orationem, sed excusationem tam ab orationis genere Pliniano quam a necessitate qua addita sunt facile invenient.

Libro 4, 7. in Phocidis oppidis a Plinio commemoratur *Delphi sub monte Parnaso clarissimum in terris oraculum Apollinis*, uti constructione satis languida et elumbi habent $\beta\gamma$. At in *RAT*Θ*d* et apud Robertum exstat *clarissimi* et *oraculi*, quam omnium codicum scripturam permulti Plinii loci confirmant, quibus genitivus qualitatis audaciore paulo et liberiore ratione et rebus et hominibus additur, ubi vulgo aut aliae structurae usurpantur aut adiectiva *insignis, clarus* similia ablativis iunguntur; vide 2, 82 *principes doctrinae viri* 4, 71. *Astypalaea liberae civitatis* 7, 128. *Daphnis grammaticae artis* (coll. 9, 28. 25, 7. 30, 18.) 8, 14. *Menander incipientis iuventae* 9, 16. *internorum viscerum pulmo* 9, 125. *lentor cuiusdam cerae* 9, 163. *glutinum atramenti* 10, 172. *ancilla mercenariae stipis* 11, 86. *scorpio veneni serpentium* 11, 190. *tristis ostenti* 12, 25. *terebinthus proprii generis* 15, 54. *longissimi pediculi* 18, 22. *vir clarissimae scientiae* 22, 92. *optimi hos cibi* 32, 26. *diligentissimus medicinae* 33, 101. *lapis spumae candidae* 34, 62. *fecundissimae artis* 34, 81. *nec finem habentis diligentiae* 35, 20. *nostrae aetatis* 35, 74. *heros absolutissimi operis* 35, 112. *in iis consummatae voluptatis* 35, 114. *Gryllum deridiculi habitus* 36, 54. *celeberrimi generis* 36, 191. *rivos novi liquoris* 37, 7. *omnes musicae artis*. Atque hinc illustranda etiam verba *totus animae, totus animi* 2, 14.

Sequitur locus priore paulo impeditior, ubi interpretatio ab interpunctione pendet. Ex editionibus vulgatis scilicet (β) Plinius 4, 66. de Delo insula haec narrat: *quae diu fluctuata ut proditur sola motum terrae non sensit ad M. Varronis aetatem*; *Mucianus prodidit bis concussam*. In his Mercurialis var. lectt. 3, 18. eumque secuti Harduinus et Broterius (γ) verba *ad M. Varronis aetatem* ad sequentia referunt, novam inde periodum incipientes. Quam interpunctionem si posuisset Plinius, suam et aliorum sententiam Muciano opposuisset, quo facto ei scribendum erat *sentit* pro *sensit*, et verba de quibus sermo est aliter ponenda, uti fere: *Mucianus tamen ad M. Varronis aetatem bis concussam prodidit*. At cum ipso illo tempore praeterito (*sensit*) sit usus, patet eum certum aliquod tempus significasse, ad quod usque Delos terrae motum non senserit. Varro igitur cum aliis philosophis, quorum de Delo terrae motibus non concussa opiniones deridet Seneca natur. quaest. 6, 26., immemor eorum quae de hac re narraverunt Herodotus et Thucydides (v. intpp. ad Herod. 6, 98. et ad Thucyd. 2, 8.) Delum terrae motu non concuti dixerat. Accuratior in hac re Mucianus, qui illas ipsas regiones adiverat, bis hoc factum fuisse narravit, et cum Plinius, qui hanc utriusque viri in iudicanda illa re discrepantiam nosset, ei dirimendae se imparem sentiret, ex consuetudine sua utriusque iudicium deinceps enumeravit et, cum Varro Delum inconcussam dixisset, Mucianus vero, uti videtur temporibus non additis, bis motam fuisse tradidisset, Plinius ut homo cautus aetatem Varronis tamquam illud tempus describit, ad quod usque secundum huius certe litteratissimi auctoris opinionem Delos inconcussa manserit, in quae tempora, ante an post Varronis aetatem, motus terrae a Muciano commemorati inciderint parum curans. Hunc igitur errorem Plinii vel potius Varronis contra historiae testimonia commissum ab illo defensuri Mercurialis et Harduinus veterem interpunctionem mutaverunt, quos si sequimur, mira inde oritur sententia. Nam ut taceam, per praeteritum tempus *sensit* Plinium tum sibi contradicere, quippe qui modo dicat Delum terrae motum non sensisse, modo dicat sensisse, quaeritur cur Mucianus, qui dixerat ad Varronis (cur autem ad huius potissimum, neque ad Augusti vel alius aequalium?) aetatem Delum bis concussam fuisse, si bis tantum in universum est concussa, non suae ipsius aetatis rationem habuerit, sin saepius concussa est, cur non addiderit, quoties post Varronis aetatem concussa fuerit. Tota illa commemoratio aetatis Varronianae tum prorsus est otiosa et inepte addita. Nam illud quidem statuere, Mucianum has notitias ex Var-

rone, et Plinium quae Varro dixerat non ex hoc ipso sed ex derivato demum Muciani fonte hausisse, nimis ridiculum est quam ut longa refutatione sit opus, cum Plinius certe, quem toties Varrone usum esse scimus, non Muciani demum de Varrone testimonio egeret, quo accedit Plinium, si indicare voluisset, se hanc de Varrone notitiam Muciano debere, non omissurum fuisse addere, Mucianum hoc ex ipso Varrone sumpsisse. His autem quae ad stabiliendam veterem interpunctionem attuli argumentis Pintiani quoque coniecturam *At M. Varronis aetate Mucianus* (quae per codd. *AT* commendari videtur, in quorum hoc *at*, in utrisque *aetate* legitur, cum vere illae lectiones tantum errori prioris librarii et interpolationi posterioris debeantur) satis refutatam esse credo, per quam ceterum illa ineptia, cur Mucianus ad rem adeo memorabilem describendam Varronis potissimum neque Augusti aetate usus sit, multum augetur.

Interpunctionis cum mentionem fecerimus, memini trium locorum, qui eadem ratione et vindicandi sunt et explicandi. Et primum quidem Plinius de auri luxu immodice aucto conquerens (33, 40.) ait: *et nos sceleris arguimus illum, qui primus auro dignitatem per anulos fecit, ut habeant in lacertis iam quidem* (vulgo *pridem*) *et viri, quod ex Dardanis venit, itaque et Dardanium vocabatur. Vjriolae Celtice dicuntur, viriae Celtiberice* (vulgo *Celticae* et *Celtibericae*.) *Habeant feminae in armillis digitisque totis, collo* etc.; *etiamne pedibus induetur* (vulgo *induitur*) *atque inter stolam plebemque hunc medium feminarum equestrem ordinem faciet* (vulgo *facit*)? Hic particulam *ut* priori verbo *habeant* praemissam agnoscunt quidem *hilβγ*, omittunt *BVPd*, et recte quidem. Hucusque pendebant haec verba a superioribus, cum referenda sint ad inferiora, ut alterum quod sequitur *habeant* sit anaphora prioris, qua figura Plinius totus rhetoricus saepissime utitur (v. 7, 4. 125. 9, 5. 14, 135. 141. 15, 108. 16, 95. 124. 173. 18, 3. 19, 106. 22, 95. 136. 28, 8. adde ad 32, 33.) et haec indignatio claudatur ultimis huius paragraphi verbis *etiamne* sqq.

Alter locus huc pertinens legitur 36, 119. ubi Plinius de theatris Curionis pensilibus loquens ita exclamat: *et per hoc* (i. e. per illa theatra) *quaeritur in tribuniciis contionibus gratia, ut pensiles tribus faceret. Qualis hic in rostris? quid non ausurus apud eos, quibus hoc persuaserit?* Ita vulgo foede interpolate legitur. Nam primum prior praepositio *in* ante *tribun.* recte omittitur in *Bβ*, cum eam habeant *RTdhrγ*. Deinde pro illis *faceret*. *Qualis hic*, quod nullus codex agnoscit, *B* habet *quatiat*, quod in *Rdh* translit in *qualia et*. Quae Viri Docti ex falsa illa scriptura coniecerunt, sciens praetereo. Codicem *B* unice sequendum esse, perspexit Ianus, errans tamen, si quid video, in interpunctione loci, quam ita proposuit: *tribus quatiat, in rostris quid*. At interpungendum est: *ut pensiles tribus quatiat in rostris, quid non* etc. hac addita interpretatione. Curio, id quod indignatur Plinius, per theatra sua, quibus populum in summum periculum adduxit, suis contionibus favorem et gratiam populi quaesivit, ut populus contionibus Curionis, quas hic

in rostris habiturus esset, cum studio et favore interesset. In illis vero contionibus Curio gratia sua fretus omnia ausus est et *tribus pensiles quassit*. Singula haec verba cum vi quadam scripsit Plinius; et primum quidem *tribunicias* illas contiones commemoravit, alludens ad famosum illum Curionis tribunatum, cum a Caesare corruptus pro eo cum tribubus egit et nil amplius hac via sperandum sibi esse videns ad Caesarem in Galliam confugit (Appian. Civil. II. 31 — 33.) Illas vero tribus Plinius dicit *pensiles*, in hoc adiectivo ludens. Nam cum tribus antea in theatris pependissent, postea etiam pendebant i. e. incertae erant, quo se verterent, totae voluntate et nutu Curionis pendentes, qui eas in orationibus suis in rostris ita quassit (Cic. Tusc. 3, 12.), uti paulo antea in theatris quasserat.

Tertius locus, ubi de cyano gemma agitur (37, 119.), e codice *B*, ne lineola quidem mutata, ita a me est restitutus: *Optima Scythica, dein Cypria, postremo Aegyptia. Adulteratur maxime tinctura, idque in gloriam regum Aegypti; adscribitur et qui primus tinxit.* Ad haec verba illustranda maxime facit Theophrastus de lapid. §. 55. σκευαστὸς δ' ὁ Αἰγύπτιος (κύανος) καὶ οἱ γράφοντες τὰ περὶ τοὺς βασιλεῖς καὶ τοῦτο γράφουσι, τίς πρῶτος βασιλεὺς ἐποίησε χυτὸν κύανον. Ianus vero qui quomodo locus sit interpungendus non perspexit, verbum *adscribitur* ad superiora referens, haec coniecit: *Postremo Aegyptia adulteratur maxime tinctura, ideoque in historia regum Aeg. adscribitur et qui primus eam tinxit.* Sed nihil mutandum, dummodo locus recte interpungatur, quod ego feci verbo *adscribitur*, quod Ianus cum edd. vulgatis ad praegressa refert, nunc relato ad sequentia. Quo facto vox *idque* explicandum est per *et — quidem*, quo sensu etiam alibi apud Plinium legitur, v. 7, 15. 21, 15. 29. 34.

Huius generis locorum, quibus medela e solis codicibus erat petenda, agmen claudat locus 37, 45. ubi Plinius ad describendam luxuriam, qua Nero in munere gladiatorio et venatione sucinum profudit, narrat tantam illius materiae copiam invectam fuisse, *ut retia coercendis feris podiumque tegentia sucinis nodarentur, arma vero et libitina totusque unius diei adparatus esset e sucinis.* Ita cum verba ex optimis codicibus, maxime e *B* essent emendanda, accedunt iis insuper nova verba e *B* hausta, quae a *Pdhβγ* absunt; ita tamen ab illo codice adduntur ut aliquid in iis sit mutandum, quae ipsa res effecit, ut de hoc loco nunc demum agamus, nacti ita aptum transitum ad alterum dissertationis nostrae caput, quo coniecturas de aliquot Plinii locis corruptis cum lectoribus communicabimus. Scilicet pone v. *adparatus* in *B* inveniuntur haec: *in variatione pompae ac singulorum dierum*, quae recipienda fuerunt ita ut *ac* omitteretur, quod ex syllaba *ae* ortum sensum verborum turbat. Res enim ita est expedienda: Nero munus gladiatorium plurium dierum dedit (Lips. Saturn. 1, 11.), quorum singulos re aliqua mira et nova insignire voluit. Variavit igitur pompam singulorum dierum, et cum aliis diebus alia ex materia apparatum et arma fabricari iussisset (v. 33,

53.), totum unius horum dierum apparatum e sucino fecit. Pompam igitur gladiatorum ante ipsum ludum traductorum illo die totam sucino ornavit, unde patet, non pompam *ac* singulos dies sed pompam singulorum dierum fuisse variatam. *Pompam* autem non modo de curruum transvectione sed etiam de gladiatorum traductione dici, luculenter docet Pseudo-Quintilianus declam. 9, 6. p. 173. Bip. *Et iam dies aderat iamque ad spectaculum supplicii nostri populus convenerat, iam ostentata per arenam perituroruin corpora mortis suae* pompam *duxerunt*. Tantum igitur abest ut haec verba librarium interpolatorem prodant, ut verba *unius diei* ostendant eiusdem muneris aliis diebus alia metalla prolata fuisse.

De variis generibus aeris loquens (34, 10.) Plinius *Proxima* (secundum Deliacum) inquit *laus Aeginetico fuit. Insula et ipsa nec aes gignens sed officinarum temperatura nobilitata.* Sed multa in his mutant codices. Et primum quidem *et*, quod habent cum codd. Gelenii *VRdhP*$\beta\gamma$, omittit *B*; deinde pro *nec aes*, quod cum codd. Gelenii habent *d*$\beta\gamma$, in *B* legitur *est nec uod*, in *R* porro *e nec ē*; V habet *est nec est*, h vero *est nec aes*. Tum voci *gign.* praemittitur *ibi* in *B*, quod praeter codd. Gelenii omittunt *VRdh*$\beta\gamma$. Postremo *gignens* praeter codd. Gelenii habent *VRPdh*$\beta\gamma$, at pro eo in *B* legitur *signetur*. Ex his Ianus coniecit: *Insula et ipsa est, non quod ibi gignitur, sed officinarum temperatura nobilitata.* At in hac coniectura non minus quam in vulgata lectione mirum quantum languet casus nominativus (*insula— nobilitata*), et secundum codicis optimi auctoritatem et vestigia scribendum existimo: *Proxima laus Aeginetico fuit, insula ipsa aere nec quod ibi gigneretur sed officinarum temperatura nobilitata*, ita ut illi nominativi auctore *B* in ablativos absolutos mutentur. Quod deinde scripsi *aere nec*, litterarum elementis, qualia in codd. inveniuntur, satis accommodatum videtur; denique *gigneretur* reposui neque *gignitur*, primum quia ratio diplomatica propter litteram *e* illam magis quam hanc mutationem commendabat, tum quia gloria aeris Aeginetici tamquam rei praesentis dudum interierat, et Plinius id modo dicere potest, Aeginam aere suo non nobilitari sed nobilitatam fuisse; postremo coniunctivus huic loco unice est aptus eamque vim ei tribuit, quam indicativus numquam tribuere potuit. Cum enim Plinius recte iam hoc miretur, ipsam aliquam insulam aere nobilitari potuisse, miraculum illud augeri dixit, si quis reputet, hanc nobilitatem insulae non aere ibi invento sed officinarum temperatura contigisse, ita ut *nec quod* idem sit quasi Plinius dicat: *et eo quidem aere quod ibi non gigneretur*, qui quantum in coniunctivo cum pronomine relativo copulando sibi indulserit, demonstravi ad 33, 103*). Tum *insula aere nobilitata* prorsus est Plinianum, quod cum

*) „Permulti loci apud Plinium demonstrant, paulo liberiorem eum in coniunctivo post pronomen relativum ponendo fuisse, ubi severiores vetustioris sermonis leges indicativum postulabant; vide 2, 4. 62. 6, 54. 64. 173. 7, 52. 12, 4. 36. 58. 18, 212. 27, 98. 29, 61. 76. 163. 30, 4. 52. 107. 119. 31, 128. 23, 31. 33, 111. 127. 142. 34, 16. 19. 74. 122. 35, 56. 36, 78. 161. 37, 5. 66. 82. 199."

multi alii eius loci tum 35, 164. 36, 21. 26. comprobant. *Nec quod* vero per durum consonarum concursum non offendet eum, qui memor est observationis nostrae ad 32, 24.*)

De labyrinthis dicens Plinius 36, 86. plurimum in Aegyptio describendo versatur, de quo haec habet: *Aegyptius introitu lapide e Pario columnis; reliquis e Syenite molibus compositis.* At longe alia hic dant codices: *introitu lapidis e Paro* BRTel, *introitu lapide e Paro* V, *introitu lapidis e Pario* d, *in introitu lapideis e Paro* P, *introitu lapideis operato* h, *introitu lapideis operto,* r. Hinc unum *introitu* servavit β, *introitu lapide e Pario* scripsit Harduinus et cum eo Broterius γ. Tum *columnisque reliqua* habet B, *columnis relique* VTd, *columnis reliquae* Plr, *columnis reliquis* scripsit Harduinus (γ) quam coniecturam confirmant R (?) h, *columnis reliquisque* habet K, *columnisque reliquis* β. Quod iam ad priora verba attinet, nihil mutandum in lectione optimorum librorum, cum verba sint ita explicanda: *Aegyptius* in *introitu* (de omissa praepositione *in* v. ad 33, 16.) tectus fornicibus *lapidis* (genitivi usum, ut dicatur de materia, unde res genitivum regens est fabricata, comprobant loci qualis est §. 89. *fornices quadrati lapidis*) *e Paro* (i. e. Parii; v. ad 35, 43. p. 38. ed. nostrae). In sequentibus autem scripsi *columnis domoque reliqua,* cum auctoritate codicis optimi id satis fulciri putarem; nihil in huius scriptura mutavi, expleta modo lacuna, cuius clarum vestigium copula *que* indicat, ea ratione quam et ipsius loci sententia et ratio palaeographica commendare videbatur, cum propter primae vocis *columnis* elementa vox *domo* facile excidere posset. Labyrinthus autem *domus* a Vergilio dicitur (Aen. 6, 27.), et ipse Plinius singulas aedificii partes saepe *domos* dicit; v. §. 87. 88. 89. In extremo loco habet *estenite* B1, *exienite* B2, *sienite* VTPd, *semite* h, *semitae* r, unum *e* servavit β, *e syenite* scripsit Harduinus (γ) cui accedere dicitur R (?). Alii alia coniecerunt, Ianus scripsit *columnis, quae reliquae* (columnae sunt), *syenitae molibus.* Scribendum potius fuit *e syenitae*, ita ut totus locus iam talis prodeat: *Aegyptius introitu lapidis e Paro, columnis domoque reliqua e syenitae molibus compositis.*

Insaniae in vasis myrrhinis parandis mentione iniecta (37, 18.) Plinius ex vulgata scriptura ita narrare pergit: *Excrescitque* (l. *Et crescit* e *B*) *in dies eius rei luxus* (l. *eius luxuria* sc. myrrhini e B) *myrrhino LXX talentis* (l. *HS* ex B) *empto, capaci plane ad sextarios tres calice. Potavit ex eo ante hos annos consularis, ob amorem adroso margine eius.* Illud *ex eo ante hos* habet P, *ante hos* dh; omnia haec verba omittit B et recte quidem. Nam vulgatam h. l. scripturam foede esse interpolatam et corruptam tribus argumentis evincitur. Et primum quidem verba *myrrhino — calice* non faciunt iustam apodosin verborum proxime praecedentium; deinde *ante hos*

*) „Plinius voces quales sunt *ac* litteris *c* et *qu* praemittere non dubitat; vide 14, 45. 15, 34. 77. 88. 16, 59. 71. 76. 248. 17, 253. 18, 305. 24, 2. 25, 119. 141. 28, 42. 187."

annos inepte dicitur numero annorum omisso; denique *consularis* tum demum dici potuit, si aut nomen viri aut pronomen pro viro additur. Hinc legendum est: *Et crescit in dies eius luxuria. Myrrhino LXX. HS. empto, capaci plane ad sextarios tres calice, potavit* T. Annius *consularis* rel., ut intelligatur unus e consulibus suffectis fortasse illius temporis. Ceterum de nomine certi aliquid affirmare non ausim; meae sententiae auctor mihi fuit nomen *annos*.

Horum myrrhinorum colorem descripturus Plinius (37, 21.) ait: *sed in pretio varietas colorum subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoremque et tertium ex utroque, ignescente* (ita BPCdehlγ; *ignescentem* β ad superiora referens) *veluti per transitum coloris purpura aut rubescente lacteo.* Tres ultimas voces ita *Bdh* referunt; *a rubescente lacteo* habet Ambr. I. *rubescente aut lacte candescente* GPβ, *candescente aut lacte rubescente* K, quod probat cum Roloffio Buttmannus in Museum der Alterth. 2, 551. Ego quoque tale aliquid Plinium scripsisse arbitror, ut tamen a lectione optimorum librorum non adeo multum recedendum putem. Et quamquam de hoc loco, nisi ipsis myrrhinis certis denuo repertis aut saltem codice prorsus integro detecto, certi aliquid vix proferri poterit, coniecturam tamen hic apponere liceat, quae tamquam fundamento verbis Plinii nititur, e purpura et candore tertium oriri colorem transitu utriusque prioris; hunc tertium fuisse igni similem, hoc probabile facit et vox *ignescente* quae, quocumque refertur, colorem igneum adfuisse testatur, et auctoritas Isidori origg. XVI. 12, 6. apud quem haec leguntur: *Varietas eius in purpuram candoremque et ignem.* Iam vero apparet, uti colori *lacteo* tribuitur transitus *rubescentis*, ita *purpurae* transitum candescentis tribuendum esse, quod iam ex vocibus *purpuram candoremque* consequitur; utrique enim colori, ubi de eius transitu sermo est, color oppositus addendus fuit, unde quivis intelligit *ignescente purpura* h. l. dici non posse. Hinc Plinium scripsisse existimo: *et tertium ex utroque ignescen*[tem, candescen]*te veluti per transitum coloris purpura aut rubescente lacteo.* Ita auctoritas codicis B (ubi quod legitur *in purpura* aut mero librarii errori aberrantis oculis suis ad proxime sequentia verba, ubi quod scribere debuit *in is*, scripsit *is*, praepositione per errorem iam supra posita, aut emendandi studio debetur quo vox praegressa *transitum* invitavit) et ceterorum optimorum librorum servatur, et quomodo error ortus sit facillime explicatur. Bergkius exercitt. Plin. 1, 32. coniecit: *coloris in candorem e purpura, aut rubescentis e lacteo.*

De topazis narrat Plinius (37, 109.) *Eadem sola nobilium* (gemmarum) *limam sentit, ceterae Naxio et cotibus poliuntur.* In his extremis codices multum variant, cum B1Θ habeant *naxo et cotibus*, B2 *saxo et cotibus*, r *naxo et cote*, h *noxo et cote*, d *noxoque cote*, KP *saxo et cote*, codd. Gelenii et β *Naxiis cotibus*, codd. (?) Harduini et γ *Naxio et cotibus.* At huic lectioni obstat, quod uti iam Glockerus de gemmis Plinii 1, 24. observavit, Plinius 36, 54. cotes e Cypro insula advectas appellari Naxium dicit, unde cum *Naxio et cotibus* nihil sit nisi *Naxiis cotibus et cotibus*, aut cum codd. Gelenii, hoc quidem loco ut videtur interpolatis, *Naxiis cotibus* reponendum aut simpliciter scribendum *Naxio*, ceteris omnibus additamentis aut glossematis delendis. Huc enim ducit codicum lectio *Naxo* postea corrupta, cui cum adscriptum esset glossema *id est cotibus*, haec verba uti fit paululum immutata (v. Hand. Tursell. I, 540.) in ipsam orationem sunt recepta. Vocem *cotibus* dubiae esse originis illud etiam comprobat, quod in codicibus modo *cote* modo *cotibus* legitur. Aliam coniecturam, quam Odofr. Müllerus in editione priore archaeolog. p. 380. protulerat, ipse in editione altera §. 310, 3. et §. 314, 2. tacite revocavit.

Ubi de leucochrysis narrat Plinius (37, 128.) ait: *Sunt et in hoc genere capniae, sunt et* vitreis *similes, velut croco fulgentes. Vitro adulterantur. Ut visu discerni non possint, tactus deprendit, tepidior in vitreis.* His in verbis e codice *B* emendatis fateor me vocem *vitreis* priore loco collocatam non intelligere. Loquitur Plinius de leucochrysi generibus, quorum unum dixit capnias; sequitur alterum genus velut croco fulgens. His gemmis non peculiare aliquod nomen tribuit sed simpliciter vitreis similes dicit; at quibus vitreis? Nondum vitreas memoravit. Id vero eo magis offendat necesse est, cum infra vitreas ut lectori iam notas afferat et vitro adulterari dicat. Hinc certissime mihi est persuasum haec verba esse corrupta et Plinius videtur scripsisse: *sunt et vitreae is* (i. e. iis) *similes*, quae verba postea coaluerunt. Potestne fortasse cum hac gemma comparari, quam Theophr. lapid. §. 30. commemoravit ὑαλοειδής?

Difficillimus locus est 2, 20. ubi Plinius postquam docuit, quam absurdis de natura deorum opinionibus vulgus hominum sit deditum, ita pergit: *Agere curam rerum humanarum illud quidquid est summum, anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusne? Vix prope est iudicare, utrum magis conducat generi humano, quando aliis nullus est deorum respectus aliis pudendus.* Scripsi locum qualis in codd. exstat (*dubitemusne* habent dp, *dubitemusve* Θabg$\beta\gamma$., *dubitamusve* P.), quamquam particulae *anne* et *ne* vel (quod prorsus nequit tolerari) *ve* in apodosi coniunctae eum corruptum esse perspicue docent. Dubitantes vero opponi credentibus palam fit ex verbis sequentibus *aliis nullus — aliis pudendus*, ubi priores *alii* significant *dubitantes*, posteriores indicant *credentes.* Et Plinium quidem ad dubitationem magis pronum esse apparet ex simillimo loco §. 26. (*verum in his deos agere curam rerum humanarum credi ex usu vitae est*), unde iam certissime, nisi fallor, elucet verbum *dubitemusne* collocandum esse pone v. *summum*, et homines in duas omnino classes discerni, alteram eorum qui dubitant summum numen curam rerum humanarum agere et nullum deorum respectum habent, alteram eorum qui credunt quidem agere sed inepte credunt, quia iis, si credunt, simul etiam credendum est, summum numen per illam curam non pollui tam tristi atque multiplici ministerio (i. e. ministris coll. ad 35, 176. p. 102. ed. nostrae), quamquam illos eo pollui

nemo negabit. Mira vero traiectio vocis *dubitemusne* mihi videtur explicari posse, quod librarius codicis archetypi propter homoeoteleuton vocis sequentis *anne* ad hanc properans illam omisit et postea margini adscripsit unde per librarium apographi illinc transscripti aut per casum aut per subtilitatem quandam ingenii voci *credamus* est subiecta, utpote cui maxime videretur congrua. In sequentibus vero *Vix* habent *Pabdgp*, in *Θ* exstat *Ne vix*, quae scriptura nisi errori solemni, syllabas easdem repeti, debetur, fortasse affirmativa illa particula, quae vulgo *nae* scribitur (Hand. Tursell. 4, 23.), agnosci potest, aptissima sane ea gravissimae sententiae, quae in his verbis inest, quamquam non sum ignarus eorum quae post alios monuit Haasius ad Reisig. schol. grammat. Lat. p. 379. *Est* vero pro *licet* cum infinitivo iungere Plinio est usitatissimum; v. 7, 1. 8, 87. 135. 9, 5. 93. 97. 99. 11, 87. 151. 14, 68. 16, 84. 17, 16. 51. 19, 171. 20, 95. 203. 22, 16. 30. 23, 72. 112. 29, 72. 30, 137. 34, 132.

Simili ratione corrupta verba (3, 109.) similiter etiam tractanda videntur, ubi Plinius ex vulgata lectione ita loquitur: *Nar amnis exhaurit illos* (lacus Velinos) *sulphureis aquis; Tiberim ex his petens replet e monte Fiscello labens iuxta Vacunae nemora et Reate in eosdem conditus.* Nihil in his e codd. est enotatum nisi quod pro *labens* in *RAd* legitur *aves;* multa tamen mutat Dalecampius qui hoc recte sensit, nonnulla in iis esse, quae, uti iam leguntur, Plinium scripsisse non est credibile. Nam quid sibi velint *exhaurit illos sulphureis aquis,* nemo facile dixerit praeter Harduinum qui mire ea interpretatur, „lacus corrumpit in quos conditur." Iam nos advertit scriptura omnium codicum *aves* pro *labens,* quam corruptam quidem vestigium tamen verae scripturae indicare puto. Videtur scilicet Plinius tale aliquid scripsisse: *Nar amnis exhaurit illos* albens *sulphureis aquis; Tiberim ex his petens replet e monte Fiscello, iuxta Vacunae* rel. Et *albens* quidem corruptum in *aves* et casu vel interpolatione potius in alium locum delatum recte mihi videor restituisse secutus Vergil. Aen. 7, 517. *Sulphurea Nar albus aqua.* Deinde verba *e monte Fiscello* indicant regionem ubi Nar in Tiberim incurrit; prorumpere quasi videbatur eo in loco e monte Fiscello, ut aquam suam Tiberinae misceret, et cum vi aliqua Plinius locos sibi opposuit, ubi Nar in lacus Velinos, ubi in Tiberim incurrit. Certe multo aptius hoc dictum est quam quod vulgo legitur *e monte Fiscello labens,* quod quocumque verteris difficultate et ineptia aliqua laborat, quam sentientes editores veteres (*β*) pro *e monte* scripserunt *a.*

Foede interpolatus est in edd. vulgatis locus (5, 42.) ubi Plinius, postquam de insulis maioribus Africam inter et Italiam sitis exposuit, ita pergit: *At contra Carthaginis sinum duae Aegimori arae, scopuli verius quam insulae, inter Siciliam maxime et Sardiniam. Auctores sunt, et has quondam habitatas subsedisse.* Ante omnia observandum est, Plinium, quod viros doctos non attendisse mireris, h. l. de duplici insularum congerie esse locutum. Id docent verba

contra Carthaginis sinum et *inter Siciliam maxime et Sardiniam*; insulae enim, quae contra illum sinum sitae erant, vix dici possunt etiam inter Siciliam et Sardiniam sitae fuisse. Huc accedit, quod in universum alterutra situs significatio, si de una modo insularum congerie Plinius cogitabat, prorsus erat otiosa, et quod Plinius tum certe utramque situs significationem sibi apposuisset neque nonnullis verbis interiectis alteram descriptionem ab altera discidisset. Tum hic unus est locus, quo ex vulgata certe scriptura *Aegimuro* insulae etiam *ararum* nomen tribuitur, cum scriptores qui illam insulam commemoraverunt (Strabo 17. p. 834. Livius 30, 24. Stephanus Byz. s. h. v. Florus II. 2, 30. Ptolem. geogr. IV. 3, 44. Antoninus itiner. p. 515.) nusquam harum nomen addiderint, quod non magis factum fuisse videmus ab iis, qui de *aris* sunt locuti (Verg. Aen. 1, 109. ubi v. Servium). Et quomodo putare possumus, easdem has insulas diverso nomine esse significatas, cum Stephanus Byz. Aegimorum insulam habitatam esse dicat, incolas eius *Αἰγιμορίτας* appellans, Varro autem apud Servium de aris haec habeat: *verentur in pelago latentem insulam, quem locum vocant Aras,* et ipse Plinius de pristinis horum scopulorum verius quam insularum incolis modo perquam caute loquatur? His iam omnibus de causis locum corruptum esse fatendum est; accedunt codicum lectiones e quibus haec sunt enotata: *Aegi-*
e ea e ae
moraccc. Rea utem, R. *Aegimocrcca Re autem,* a. *egimere. carce autem,* Td. *Aegemo aerea,* r. *a gremio*, N1. *e gremio,* N2*σ*. *Aegimori a re, β. Aegimori arae,* Harduinus *γ*. Quibus e vestigiis codicum reposui, quod proxime ab iis videbatur abesse: *Aegimuroe; arae autem,* ut iam Plinius dicat, duas *Aegimuros* contra Carthaginis sinum sitas fuisse, *aras autem* scopulos verius quam insulas ab illis magis occidentem versus inter Siciliam et Sardiniam. Cur autem de duabus Aegimuris loquatur, cum ceteri scriptores unam modo huius nominis insulam noverint, illud inventu non est difficile. *Aegimuroe* porro neque *Aegimuri* scripsi codices quam accuratissime sequens (v. ad 32, 147.*) Ceterum meam coniecturam iam Pintianus quadamtenus occupavit *duae Aegimuros et arae* scribens.

Nili cursum et dotes tractans Plinius 5, 59. ad Syenen pervenit: *ita vocatur peninsula mille passuum ambitu in qua Castra sunt, latere Arabiae; et ex adverso insulae IV. Philae.* Prorsus hic singularis est opinio illorum hominum, qui numero quaternario significari dicunt insulam quattuor millium passuum ambitu. Hanc ipsam sententiam Pintianus verbis transpositis et luxatis in orationem inferre est conatus. Sed de numeris hoc loco prorsus non cogitandum existimo; imo longe aliud quid Plinius scripsisse videtur, quod in ipsa huius loci scri-

*) „De exitu nominativi plur. sec. decl. in *oe* pro *i* in substantivis Graecae originis v. 4, 52. 5, 92. bis. 130. bis. 6, 17. 195. coll. Reisig. schol. grammat. Lat. p. 73. c. n. Haasii, Tzschuck. not. crit. ad Melam I. 13, 2. II. 1, 2. Bambergensem codicem in talibus vocibus saepe *y* habere monet Ianus p. 338."

ptura inest. Nam si meminimus, omnes nostros codices ex codice litteris maiusculis sed iis saepe male intellectis scripto manasse, non improbabile est, in illo ita exaratum fuisse: ***EST ex adverso insulA EIVs Philae.*** Quam parvae, quam fere nullae mutationes ita a nobis factae sint non est quod demonstremus; unum quod de synchysi pronominis *eius* ad opinionem nostram refutandam proferri potest expeditur iis quae supra p. 15. de similibus synchysibus apud Plinium obviis dixi ad 2, 110.

Nilum deserere non licet, nisi prius locum memorabilem de illius ostiis agentem paulo accuratius inspexerimus. Plinius scilicet 5, 64. ubi celeberrima septem ostia, proximum Alexandriae Canopicum, dein Bolbitinum, Sebennyticum, Phatniticum, Mendesicum, Taniticum ultimumque Pelusiacum commemoravit, ad nonnullas urbes ibi sitas enumerandas transit, quarum ultimam dicit *Naucratim, unde ostium quidam Naucratiticum nominant quod alii Heracleoticum, Canopico cui proximum est praeferentes.* Iam in eo sane Pintiano assentior, quod de corruptela huius loci cogitavit, quamquam veram viam non est ingressus. Scilicet offendit primum illud quod ex verbis *Naucratiticum — Heracleoticum* non patet, cui tandem ex septem ostiis supra commemoratis duplex illud nomen tributum fuerit; in illis enim septem ostiis Heracleoticum a Plinio non est nominatum. Huc accedit, quod diserta veterum scriptorum testimonia loco Pliniano qualis nunc legitur refragantur; Strabo enim 2. p. 85. et Ptolemaeus geogr. IV. 5, 10. ostium Canopicum cognominatum fuisse tradunt Heracleoticum. Tum ex scriptura vulgata nescimus quid sibi velint ultima verba sensu prorsus destituta. Hinc Plinium scripsisse existimo: *quod alii Bolbitinum, Heracleoticum Canopico, cui proximum est, praeferentes.* Non quidem scimus ex ipsis scriptoribus veteribus, Bolbitino ostio cognomen Naucratiticum fuisse; sed cum Naucratis oppidum illi Nili bracchio, quod in ostium Bolbitinum exit, adsitum fuisse constet, coniectura nostra fit perquam probabilis. Per ultima iam verba Plinius dicit, nomen Heracleoticum praelatum fuisse ab illis iisdem, qui Bolbitinum dixerunt Naucratiticum, in eo bracchio cui Bolbitinum est proximum, in Canopico; id ita effert, ut ipsum Heracleoticum ostium Canopico esse ab illis praelatum dicat.

His vero dumetis criticis relictis ad duos locos transgrediamur, qui interprete egere videbantur, cum a prioribus editoribus non ita illustrati essent, ut horum sententiae accedi posset. Et initium quidem faciamus ab illo loco ubi Plinius (2, 92.) de cometis loquens, haec sidera mortalibus semper terrifica non leviter piari narrat, uti factum fuisse *civili motu Octavio consule, iterumque Pompei et Caesaris bello.* Haec Harduinus refert ad a. u. 711. quo Hirtio et Pansa consulibus in pugna Mutinensi occisis Octavianus viginti annos natus consul est declaratus. Sed erroris Harduinum multa convincunt; primum quod Plinius dicit Octavium neque Octavianum, deinde quod de civili motu loquitur neque de civili bello tum gravissimo, porro

quod de solo consule Octavio neque de eius decessoribus et collega Q. Pedio sermo est, denique quod voce *iterumque* praemissa ad tempora Octaviano priora progreditur. Hinc alius Octavius consul est quaerendus. Et est is Cn. Octavius a. u. 667. consul cum L. Cornelio Cinna et post hunc pulsum cum L. Cornelio Merula. In hunc omnia quadrant, et primum quidem ipsum nomen, deinde civilis motus neque bellum quod vere illo tempore nondum fuit, porro consulatus huius unius neque collegae quem expulerat (Cic. Catil. III. 10, 24. Appian. B. C. I, 65.), deinde iustus temporum ordo. Rem conficit Cic. N. D. II. 5, 14. qui bello Octaviano cometam magnas calamitates praenuntiasse narrat. Minime vero omnium Cicero in libris de natura deorum ante annum 711. scriptis Octaviani bellum civile commemorare potuit, praesertim cum ipse hoc anno per proscriptionem occisus sit.

Difficultatem non exiguam interpreti facit locus 36, 46. *Primus (ut arbitror) versicolores istas maculas Chiorum lapicidinae ostenderunt, cum exstruerent muros, faceto in id M. Ciceronis sale; omnibus enim ostentabant ut magnificum: multo, inquit, magis mirarer, si Tiburtino lapide fecissetis. Et Hercules non fuisset picturis honos ullus, non modo tantus, aliqua* (vulgo *in aliqua*) *marmorum auctoritate.* Nemo interpretum docuit, quo sententiarum nexu hoc Plinii epiphonema cum Ciceronis sale cohaereat, unde etiam factum est, ut unus alterve eorum illud Ciceronis dictum ut misellum rideret. Cicero cum illa verba diceret, significavit illos parietes e marmoribus versicoloribus exstructos minime sibi admiratione dignos videri ut quos iam natura, non hominum manus finxerit; multo magis se eos admiraturum esse, si Chii illos parietes simili quidem modo exornassent, sed lapide Tiburtino vilissimo condidissent; tum enim artem hominum in iis admirationi fore. Hoc igitur dictum Plinio occasionem praebet sententiae Ciceronis confirmandae, dum dicit: vere de hoc marmoris maculosi luxu iudicavit Cicero, quo factum est, ut parietes tali marmore obducti pluris aestimentur quam pulcherrimis picturis exornati. Quodsi enim ille luxus iam in Graecia etiam invaluisset, Graeci non opus putassent, domuum suarum muros picturis exornare, unde arte pingendi facile supersedissent. Salse igitur Cicero carpit Chios, eos admonens, murum vel vilissimo lapide exstructum sed picturis exornatum pretiosiorem sibi videri maculoso illo marmore, quo vulgus hominum picturam inutilem et supervacaneam reddi arbitretur. Qualem vero de pictura eiusque pretio iudicem Plinius hanc sententiam ferens se praebuerit, omnem scilicet picturam non nisi parietibus exornandis et decorandis inservire existimans, non est quod moneam. Bene factum, quod neque Apelles neque eius admiratores Plinium ita iudicantem audiverunt.

Finis huic libello imponatur adiecta observatione grammatica de usu Pliniano in genitivo pluralis secundae declinationis, qua in memoriam revocata aliquot locis scriptura codicis *B* ab arbitrariis mutationibus ceterorum codicum et editionum vindicatur. Operae

pretium erat, omnia nomina colligere ubi Plinius illius casus forma contracta *um* pro *orum* usus est, quod fecit his in vocibus: *aerarium* 34, 1. *Attacorum* 6, 55. *binum* 5, 34. 7, 75. 9, 93. 12, 96. 25, 44. 26, 107. 27, 116. 123. 31, 57. 36, 69. *centenum* 6, 3. 57. 99. 7, 164. 36, 93. *denarium* 12, 65. 93. 124. *denum* 7, 164. 17, 169. 31, 58. *deum* 7, 120. 14, 54. 18, 16. 29, 158. 35, 109. *duodenum* 8, 78. 36, 7. *ducenum* 9, 4. *duodequadragenum* 36, 6. 114. *duum* 2, 103. 6, 144. 8, 76. 12, 24. 89. 13, 36. 14, 106. 15, 61. 63. 16, 125. 17, 111. 130. 144. 19, 68. 96. 20, 264. 21, 109. 25, 84. 89. 113. 138. 26, 57. 27, 61. 71. 80. 84. 29, 41. 30, 52. *ecum* 35, 104 (ex emendatione Seidleri). *fabrum* 34, 1. 36, 48. *inferum* 30, 6. *liberum* 35, 12. *Massaesylum* 5, 52. *modium* 16, 201. *nummum* 8, 167. 9, 67. 14, 48. 49. 16, 202. 17, 8. *octonum* 6, 190. 36, 65. 67. *quadragenum* 7, 164. 36, 65. 67. 69. *quadrigenum* 9, 7. *quaternum* 6, 194. 9, 4. 17, 159. 21, 21. 33, 61. 36, 102. *quindecimvirum* 28, 12. *quinquagenum* 15, 99. 36, 91. 92. *quinum* 7, 28. 164. 9, 93. 36, 92. *stadium* 19, 41. *talentum* 12, 88. *ternum* 6, 194. 11, 103. 13, 139. 20, 194. 25, 66. 33, 75. *tricenum* 7, 164. 9, 93. 11, 113. 36, 91. *vicenum* 6, 98. 7, 164. 8, 35. 17, 77.

Eine Krankheit, welche mich kurz nachdem ich mein Amt angetreten hatte überfiel und bis zu Ende des Februar von Geschäften fern hielt, hat es mir unmöglich gemacht mit meinen Herren Collegen die an der Kreuzschule zu treffenden neuen Einrichtungen so zeitig zu berathen und festzustellen, als erforderlich gewesen wäre, um über sie schon jetzt gedruckten Bericht abstatten zu können. Es wird jedoch dieser Bericht zugleich mit den übrigen Schulnachrichten noch vor Beginn des neuen Lehrcursus ausgegeben werden. Dem gegenwärtigen Programm füge ich nur die Ordnung der beiden öffentlichen Schulfeierlichkeiten, zu denen es die Gönner und Freunde unsers Gymnasiums einladet, der Prüfungen und der Entlassungsfeier, bei.

Dr. *Julius Ludwig Klee*, *Rector*.

Ordnung der Prüfungen,

die in dem grossen Auditorium der Kreuzschule gehalten werden.

Montag, den 26. März, Vormittags von 8 Uhr an.

Das Progymnasium.

1.) Religionslehre. Dr. Götz. 2.) Lateinisch. Coll. Pfuhl. 3.) Lateinisch. Coll. vic. Dittrich. 4.) Griechisch. Coll. Schöne.

Nachmittags von 3 Uhr an.

Mittel- und Oberquarta.

1.) Geographie. Coll. Lindemann. 2.) Lateinisch. Coll. Albani. 3.) Griechisch. Coll. Albani.

Dienstag, den 27. März, Vormittags von 8 Uhr an.

Unter- und Obertertia.

1.) Französisch. Coll. Schöne. 2.) Griechisch (Hom. Od.). Oberl. Helbig. 3.) Lateinisch (Caesar). Coll. Lindemann.

Nachmittags von 3 Uhr an.

Unter- und Obersecunda.

1.) Mathematik. Dr. Baltzer. 2.) Lateinisch (Livius). Dr. Böttcher. 3.) Griechisch (Hom. Il.). Dr. Sillig. 4.) Hebräisch. Dr. Böttcher.

Mittwoch, den 28. März, Vormittags von 8 Uhr an.

Prima.

1.) Geschichte. Oberl. Helbig. 2.) Griechisch (Eurip.). Conr. Wagner. 3.) Lateinisch (Horat.). Rector Klee.

Die Feier der Entlassung

der nach bestandener Maturitätsprüfung von der Schule abgehenden Schüler findet Montag, den 2. April, Nachmittags um 3 Uhr, im Saale des Altstädter Gewandhauses in folgender Ordnung statt:

Gesang des Singchors.

Vorträge abgehender Schüler:

Ernst Julius Mittag aus Bärenfels bei Altenberg: Hebräisches Dankgebet.

Karl Julius Böttcher aus Dresden: Goethe. Deutsches Gedicht.

Karl Heinrich Jeheber aus Neuwernsdorf bei Frauenstein: Die Bestimmung des Gelehrten. Deutsche Rede.

Paul Emil Neubert aus Wilsdruff: Qui factum sit, ut Athenienses ingeniorum cultu reliquas Graeciae gentes superarint. Lateinische Rede.

Karl Wilhelm Hendel aus Dresden: Meines Volkes Erlösung. Deutsches Gedicht.

Karl Adolf Mirus aus Leisnig: De Gracchis. Lateinische Rede.

Friedrich Oskar Schöppenthau aus Dresden: Wittekind, der Sachsen Herzog. Deutsches Gedicht.

Karl Clemens Schultze aus Königstein: L'influence du siècle de Louis XIV. sur l'Allemagne. Französische Rede.

Moritz Hermann Albert Ebert aus Dresden: Abschiedsgedicht im Namen der Abgehenden, welches für die zurückbleibenden Schüler Ernst Blochmann aus Dresden erwiedert.

Entlassung der Abgehenden durch den Rector.

Schlussgesang des Singchors.

Nachricht.

Der neue Lehrcursus beginnt Dienstag, den 17. April. — Anmeldungen neuer Schüler wird der Unterzeichnete an den Werktagen der Char- und Osterwoche früh von 8—9 Uhr in seiner Wohnung (Jüdenhof Nr. 1. 3 Tr.), von 11—12 Uhr in dem Conferenzzimmer des Schulgebäudes annehmen. Die Aufzunehmenden haben einen Geburts- oder Taufschein, ein Zeugniss über geschehene Impfung und ein Zeugniss über den zuletzt genossenen Unterricht beizubringen.

Die Prüfung der neuen Schüler geschieht durch die Lehrer des Gymnasiums Montag, den 16. April, von früh 8 Uhr an; auf sie folgt an demselben Tage die feierliche Aufnahme.

Klee, Rector.